



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

liv [i.e. xi]. Veritas perfecta soli convenis iudicio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

*sequente*, posito quod eo quadrante currat Petrus, erit actus verus, etsi continuetur dein post tertium quadrantem, quando Petrus non currit amplius. Idem denique est circa prophetias Scripturæ, v. g. dum dicitur: *Virgo pariet & concipiet*: quæ nunc sunt, & in æternum erunt veræ, si *pariet* non significet tempus futurum post hoc instans, sed futurum, post tempus, quo Isaias hoc dicebat. Veritas ergo ideo non est actui non essentialis, quia ab eo separari potest, sed quia potuisset ab eo separari, quia potuisset idem actus, qui nunc est verus, esse falsus, objecto aliter se habente, quam jam se habet.

XI. Veritas propriè formalis & in dicendo seu perfecta, conformitas nimirum cognitionis dicentis seu enuntiantis & determinantis se ad alterutram partem contradictionis, soli convenit iudicio: veritas tamen in repræsentando seu veritas inchoata, quæ est sine affirmatione & negatione, tam apprehensioni simplici, quam complexæ convenit; sic enim apprehensio contra imperium voluntatis jubentis repræsentari hominem, repræsentans piscem, adhuc objecto suo est  
con-

conformis, etsi difformis sit objecto iusto representari : Item falsitas in representando non tamen formalis est in apprehensione complexa, v. g. in hac: *Deus est auctor peccati*: quales apprehensiones multas habent ei, qui eas veluti hæreticas refutant, absq; eo, quòd per illas affirmant aut negent quidquam.

XII. Ex duabus contradictoriis de futuro contingente, tã absoluto, quàm conditionato, una est determinatè vera, altera falsa; ideo enim propositio de præterito & præsentè contingente determinatè est vera; quia determinatè representat rem, sicuti est, sed idem facit propositio de futuro contingente v. g. *Petrus cras peccabit*: posito Petrum cras peccaturum esse, licet id ego ignorem pro tempore, quo id enūtio; Item illud est determinatè verũ, quod determinatè est futurum, sed cõtingẽtia, futura sũnt determinatè futura; illorum enim Deus habet determinatã cognitionem, neq; etiam futuritio determinata, quæ tantũ dicit, rem fore pro tali tempore, & non dicit non posse non esse, opponitur esse contingenti, quod tantũ dicit, rem posse non esse, & non dicit rem non fore: unde aliud est, rem esse determinatè veram, aliud est, esse  
necessa-